

bi reddere procuretis. Opto uos semper ualere in domino. Cum Beda omnium hujus Deflorationis Autorum sit recentissimus; Reginionis autem, Burchardi, Gratiani &c. nulla fiat mentio, Defloratoris aetas in Seculum IX. aut X. cadere videtur. Monachum fuisse, cum Fructuosi, Ferreoli, Columbani citatae Regulae suadent, tum etiam fol. 112. S. Benedictus adductus: Oratorium hoc sit, quod dicitur. Nec ibi quicquam aliud generatur (geratur?) aut condatur. E collatione Centonum ejus cum ipsis Autorum Operibus fortasse lectiones quaedam sinceriores elici queant.

CCCII. VII F 14

435 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 258. 4. non una manu, sat nitide tamen exaratus et rubro distinctus complectitur: I. *Sententias PP. de Incarnatione Domini* digestas in *Capita CLXXIX.* quorum Elenchus demum habetur fol. 256. p. 2. Prologus Operis incipit: *Norunt plerique rerum perditarum uel occultarum scrutatores quid requirant. ubi uero quesita reperiant. nisi aliorum indicii adiuuentur plures ignorant &c.* Ait porro Collector, se ante annos aliquot *Li-*

bellum Manualem condidisse, quarum *Sententiarum* solummodo *Adnotationes* continebantur, uerum deprehendisse, eum nequaquam sufficere. *Dicebam ergo apud memetipsum. Si ego in monasterio ubi tanta librorum est copia positus. uix tamen interdum ea que ipse annotaui dispersis ubique uoluminibus reperio. quid ergo aliis qui magnam huius opulentiae patiuntur penuriam. ista annotationum prodesse poterunt indicia.* Itaque ipsa PP. Loca conscripisse. Titulus: *Incipit liber de incarnatione domini. ex diuersorum patrum scriptis defloratus.* Initium: *In tantum Sacrosancta ecclesia iuxta edictum apostoli obsecrationes. postulationes. gratiarum actiones pro omnibus agit &c.* Deprompta sunt haec e *Ruperto Tuit.* quem *Bernardus, Hugo, Gregorius M., Augustinus,* alii excipiunt. Quoniam uero sub finem *Prologi* legas: *De Circumcisione quoque et epyphania quecumque reperire potuero. his consequenter adiungere curabo; fol. 210.* promissis suis stetit Florilegus; inter utramque tamen Tractationem fol. 222. occurrit scripta manu Sec. XIV. Versio Teutonica quarundam *Stropharum* ex *Hymnis eccl.* selectarum, puta: *Jesu nostra redemptio.*

Got vater Herre ibesu christ.

Gedench daz du vnser loser pist.

Du pist auch vnser minne.

Wier (be) gern dein auch von sinne.

Schepher aller dinge.

Du

1185

P A T R I S T I C I

1186

*Du mensch an der lesten Zeit.
Daz maen ich du du wurde seit.
Von Gabriel dem engel dein
Gehvont dem soezzen maedelein.
Da enphienge
Du liber herre mein
Die menschaet von den freuwelein.
Du erbarm dich vber die sünde mein. &c.*

Sub finem se prodit Interpres: *Du werde choneginne Jhesu Christi mweter vnde maget von Himelriche Du erbarm dich vber proeder dittreichen der ditze getiht in teufche gemacht hat &c.*

II. fol. 243. manu Sec. ut videtur, XII. Narratio fabulosa Graeculi cujusdam de Miraculo tempore Concilii Chalcedon. ad tumultum B. Euphemiae in testimonium orthodoxae Fidei contra Eutyctis errores patrato, quae incipit: *Fuit quidam abbas eutices nomine qui christum post humanam assumptionem negavit existere in duabus naturis &c.* Rem a Theodoro Besto in Actis D. Martyris, a Job. Zonara et Mich. Glyca in Annalib. ab aliis alibi, verum, ut fit, diversimode relatam post Baronium ad an. Chr. 451. examinant Hagiographi Belgae Mens. Septembr. T. V. ad diem 16. p. 257. et pro merito inter Commenta ablegant productis PP. Chalcedonensium e Literis ad Leonem Papam verbis, quae toti Fabulae ansam praebere potuere. Quoniam vero lati-

nus Interpres noster consilium Professionem Fidei utriusque Partis pectori B. Euphemiae imponendi Acacio cuidam Recluso, eque rupe sua per vim extracto tribuit, de quo nihil apud Bollandianos, latinum Exemplar illis non innotuisse, arguere licet.

III. fol. 244. in margine Bernh. et deinceps: *Ut inhabitet gloria in terra nostra — Si gloria patris filius sapiens, cum sit sapientia ipsa sapientior nemo &c.* Est Sermo I. in Annuntiat. B. V. M. et extat Opp. edit. Paris. 1690. T. III. col. 971. sed nobis magna Initii parte mutilus, ut conferenti patebit.

IV. a fol. 248. ad finem Collectanea varia: Imprimis de Passione Domini; dein selecta V. T. Loca cum Glossis allegoricis; tum Dicta Philosophorum Heracliti, Platonis, Socratis, Pythagorae &c. temere congesta; demum Carmina, quae enumerabo:

Hexametri 32. inscripti: *De Utilitate Visus exterioris et interioris.* Initium:

*Quinque iuuant oculum. sua lux. extrinseca lampas.
Oppositum corpus. ratio que iudicat idem.
Mens que iudicio memor assentit rationis &c.*

Denis Codd. mfs. theol. Bibl. Palat.

F f f f

Et

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1637

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

1187

I C O D I C E S A

1188

Et finis:

*Qui cupit hoc. uidet hoc. tenet hoc. Merces datur ampla.
Pax cupienti. vita uidenti. palma tenenti.*

De X. Plagis. Pentastichum. Le- 1360. sed emendo v. 1. e No-
gitur inter Carmina Hildeberti stro sic:
Cenoman. edit. Paris. 1708. col.

Prima rubens unda, Ranarum plaga secunda.

Quod Edita v. ult. legunt *vexat*
pro necat, Typographi παροξαμια
putem.

Allegoria. Ita inscribuntur He-
xametri 10. qui *Plagas Aegypti*
ad sensum moralem detorquent,
hoc initio:

Est aqua rubrata sapientia stulta probata.

Garrulus ut rana fit quisque loquendo prophana &c.

Oppositio remedij. X. preceptorum metri 10. qui incipiunt:
contra X. plagas. Rursus Hexa-

Prima rubens unda. deitatem mens cole munda.

Rana sequens multa. facias non ydola stulta &c.

An et hoc geminum Carmen *Hil-*
deberto tribuam, haereo. Ab
Editis certe abest.

De Misterio Misse. Totum
adscribo:

Est ratio. cur altaris pars dextera missæ

Principium finemque tenet. mediumque sinistra.

Dextera iudeos. gentiles leua figurat.

Fertur ab his. dein fertur ad hos. refertur ad illos

Nostra fides. et erunt in mundi fine fideles.

Absque inscriptione Distichon
Hildeberti col. 1232. quod alibi
dedi: *Preco puella deus &c.*

Demum *Hildeberti* Carmen:
Cur Deus homo. col. 1332. nobis
ἀνεπιγειαφον.

Adæ peccatum que conueniens aboleret &c.

Cum iisdem emendationibus, quas jam *Cod. LXXI.* indicavi.